



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Strena Suffridi Petri Leovardiensis Frisii V.I.C. Missa  
Ampliss. Ordinib. Frisiae**

**Petrus, Suffridus**

**Franekerae, 1591**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69115](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69115)



Th. 5828.

cepto dedi quia pme conuiscionit. & que nup. in su facte fupri

S T R E N A

Suffridi Petri Leovardien-  
sis Frisii V. I. C.

*Missa Ampliff. Ordinib. Frisia.*



FRANEKERAE.

*Excudebat Ægidius Radens*

*Ordinum Frisiae Typographus, in Aca-  
demia Franekerana.*

CIO. IO. XCI.

S T R E N A

Suffragan Bishop of Exeter

1874 V.L.C.

Miss [illegible]



1874

Hereditary Knight of the Bath

[illegible text]

1874

que nup in in facte nup

# STRENA

2

*Suffridi Petri Leovardiensis Frisii*

*I. V. C. missa Ampliss. Ordinibus Frisia.*

S. P. **A**MPLISSIMI, Nobilissimi, Consultissimi, Amique Viri, Mecænates candidissimi, cum pro liberalissima ista munificentia vestra, qua me dignati estis, non alia ratione efficacius dignas vobis gratias referre possim, quam ut respondeam titulo historici Ordinum Frisiae, quo me inauthorastis, adhibebo diligentiam quantam potero maximam, ut majorum nostrorum res praecclare gestas, quae penuria Scriptorum penè obliterate sunt, ab interitu vindicem, easque ea fide tractem, ut posteritas habeat aliquid solidi ac certi, quo niti possit: Et accingar ad hoc eo libentius, quod multi eruditi, qui judicare de his rebus possunt, visis originibus nostris, me non modò non deterrent ab incepto, sed etiam ut in eo perseverem ac pergam scriptis literis hortetur. Nam cum Frisiorum Respub. olim florentissima fuerit, qui mediocriter in historiis versati sunt, non ignorant principium ejus & progressum, & interitum fuisse aeterna memoria dignissimum. Hanc igitur ut iis renovem, qui desiderant, hunc ductum sequar, ut à primis ad media, & ab his ad ultima porro descendam. Ideoque ut gustum vobis praebeam historiae futurae, Frisonis primi conditoris nostri vitam carmine summatim complexus sum, quod hoc tempore, cum nihil haberem aptius, Strenae nomine

A 2

vobis

STRA  
vobis transmittendum censui, ut hinc appareat, quid  
ex subsequentiis expectandum sit: hic enim solus  
hujus carminis usus erit, mox enim plena Frisonis  
vita iusta methodo tractata cum aliis subsequetur, a-  
lioqui enim ego poeticum carminis leporem præ-  
stare nequaquam possum. nam dum in Cicerone versor,  
venam illius traxi, cujus carmina forum potius olere  
dicebantur, quam Castaliam, & est interim hoc ge-  
nus carminum à poeticis ornamentis longissimè re-  
motum, utpote quod brevitatem nudam affectat, &  
summa sequitur fastigia rerum: hanc igitur strenam  
à me in argumentum meæ erga vos observantiæ, &  
in arrabonem majoris industriæ benigno animo ac-  
cipite, ac bene valete.

Coloniæ, Anno 1591. 21. Ianuarii.

Nobiliss. Clariss. Consultiss. Ampl. vestræ

famulus deditissimus

*Suffridus Petrus Leovard. V. I. C.  
Ordinum Frisiae Historicus.*

A P O-

APOSTROPHE  
AD FRISONEM

Frisonicæ gentis conditorem: qua eius  
vita summatim perstringitur.



**F**RISO pater Frisonum Frisiæ conditor alma,  
Ortus Ianigena sacro de stemmate Semi.  
India cū Benedicta bibens ubi Fresia Gangē  
Exilio tristata tuo Paliborbron & Agrammen  
Inuisum recipit fracta ceruice Tyrannum  
Dulce solum patriæ, dulcesq; relinquis amicos  
Formaturus abis pariter linguamq; manumq;  
Cecropiasq; petis primum studiosus Athenas,  
Socraticumq; colis vigili pietate Platonem.  
Hinc & Amyntia de stragemata clara Philippi,  
Miro te stimulant subeundi Martis amore.  
Ut Duce sub tanto tractandis miles in armis  
Et laudem famamq; tibi, nomenq; parares.  
At simul egregium sua fata tulero Philippum  
Mox inter Macedumq; Duces proceresq; resulges,  
Pellei Iuuenis victricia castra sequutus  
Conciliis armisq; potens, ubi foedere Martis  
Cognitus Agathocles Macedum fortissimus Heros  
Egregiam forma natam tibi contulit Hyllam

APOSTROPHE

Quæ tibi formosam conjunx dilecta puellam  
 Edidit, & septem præstanti robore natos.  
 At postquam Lachesis fatalia stamina magno  
 Rupit Alexandro, & passim jam gliscere motus  
 Inciperent, qua terra patet regnaret Erinnyis,  
 Armaretq; Duces in vulnere mutua cunctos  
 Dum ferro flammisq; parant discernere, tanti  
 Cujus in arbitrio mancant fastigia Regni,  
 Et juga dejicerent gentes inuisa subactæ,  
 Ne consanguineas faceret tua dextera cedes  
 Intestina pio vitasti bella recessu:  
 Fixurus placidam felici numine sedem.  
 Inde rebellanti Sadracotto viribus impar  
 Militie sacramento planèq; solutus  
 Cedis, & ambigua tutele castra relinquis  
 Agrammisq; fide nixus Palibothra revisis  
 Quosq; ostracismis ejecerat iste Tyrannus,  
 Tu tibi fortune socios adjungis, amicos:  
 Cum quibus ad Lagidæ Prolemæi Regna profectus,  
 Cognatos Pbariis habitantes discis in oris  
 Dilectiq; simul vigilas in commoda Regis.  
 Sed simul ac vindex hominum domitorq; Leonum  
 Profocer armipotens, animoq; infractus & acer,  
 Lysimachus Macedum votis communibus esset  
 Threiciis

Threïcüs præfèctus agris, bellumq; superbus,  
 Ferret in Odryfios adverfo Marte feroces,  
 Tum te Memphisiticis generum revocavit ab oris,  
 Patri suppetias Agathocles. Tuq; paratus  
 Advenis, ac doctæ quantum facundia lingua  
 Possit, inexertos redigens in fœdera Thraces,  
 Et sua Lysimachum revocans in Regna solutum  
 Ostendis: Quæ prona tuis occasio rebus  
 Evenit, qua notitiam, nomenq; parares,  
 Inter vicinas Thracum ad consinia gentes  
 Lysimachus quoniam Thracum tunc sceptrâ tenebat  
 Quæq; per Arctoum dispargitur insula pontum  
 Omnis ad Agathoclem spectabat subdita Regem  
 Cum quæis Germana celebrant commercia gentes  
 Teuthonus hinc, Cimberq; tibi, Gothus atq; Caycus  
 Vandalus & Suevus, Cattuq; & Brueterus acer  
 Innotuit, patriasq; viam detexit ad oras:  
 In quibus ut vastas deserta per avia sylvas,  
 Infestosq; feris montes, incultaq; rura  
 Immensosq; lacus, nec non vastissima stagna  
 Audieras, & cuncta modis horrentia miris  
 Nec mare nec fluvios ullo insuper aggere cingi.  
 Posse putas dignos hanc terram reddere fructus,  
 Si modò cultura non desit idoneus author.

A P O S T R O P H E

Hinc tibi propositum satis dictantibus ortum est,  
 Sedibus hic fixis patrios stabilire penates:  
 Quod quia commendat Proceres, gratantur amici  
 Instruis armatas remis velisque carinas:  
 Et cum prima fuit, pronis occasio ventis,  
 Transmittis pelagus numerosa classe profundum.  
 Optataque subis terra, qua Cymbrica Tethys  
 Littore germano positos Flevum inter et Albin,  
 Undis lambebat flavos Aquilone Suevos.  
 Hic tibi mox bellum terraque marique gerendum  
 Incidit, hand dubius infestum utrinque periculis,  
 Nam liber per aperta ruens tum littora Nereus  
 Castris saepe tuis incommoda maxima fecit:  
 Et quia nec fluvius certus fuit alveus ullis,  
 Invia navigiis, et curribus invia terra,  
 Magna ex parte fuit, gelidam qua vergit in Arcton;  
 Parte sed ex alia melioribus incola terris  
 Subnixus, manibusque ferox, et vivere raptis  
 Assuetus, callensque dolos, fraudeque viarum  
 Seva per insidias injustaque praelia movit:  
 Que tu continuo perpendens mente sagaci,  
 Prospicis adverso subeunda pericula marte,  
 Ni rigidam per amica domes stratagemata turbam.  
 Hinc igitur versis in commoda publica curis,

Claruit

*Claruit egregius tua mox industria factis.*

*Noctes atq; dies toto conamine tentas*

*Molibus objectis, fluctus arcere marinos.*

*Et cohibere suo furibundum Nerea ponto*

*Aggeribus, fluviosq; suis includere ripis.*

*Atq; emissariis ipsos frenare vagantes,*

*Hac ratione satis, hac pratis debita reddis.*

*Arva, quibus consistant degenda commoda vite:*

*Consulis Agricolis & Marti consulis ipsi*

*Vnde alimenta tuis, unde & defensio constet.*

*Cumque latrociniis ferverent omnia diris,*

*Et grassarentur prædones undique sævi,*

*Et nihil in domibus tutum, nihil esset in arvis*

*Securum, sed ubique truces, sed ubiq; feroces*

*Ingruerent homines, qui mensi robore jura*

*Vexarent miseros Furiis crudelius ipsis,*

*Ut tibi sit rerum custodia certa tuarum,*

*Defendasque tuos homines, hostemque repellas;*

*Septem castra tua rata per consinia terra,*

*Non longis disjuncta locis recto ordine condis.*

*Tum Regnum ut populo, populum ut proventibus auctum*

*Dites ac largis locupletem fructibus ornes,*

*Postremo primoque situ que castra locaras*

*Inviolabilibus sancte firmantur asyulis*

*Hic*

A P O S T R O P H E

*Hic celebres ludi, celebres hic nundinae aguntur  
 Hic sunt Graio spectacula publica more,  
 Hic quaecumque juvent animos, quaecumque titillent  
 Omnia consilio satagis proponere cauto.  
 Quoq; magis possent conventus esse frequentes  
 Securum facis à castris ad castra meatum,  
 Atque peregrinos ultrò citroq; reducis,  
 Armata comitante manu, remorisq; revulsis  
 Per totos reddis commercia libera fines:  
 Inde latrociniiis & furtis atque rapinis  
 Flagitiisq; aliis tollendis iura recludis  
 Et rem cuiq; suam tutam, tutumq; grabatum  
 Reddis, & insolita populos in pace gubernas  
 Artibus ingenuis gymnasia plura docendis  
 Extruis, ac doctis immania pectora mulces:  
 His rebus per Teuthoniam non antea visis  
 Magna tui populos subit admiratio cunctos.  
 Et qui te parva nuper detrudere terra  
 Tentabant, tecum, positis per foedera bellis  
 Nectere amicitiae cupiunt jam vincula sancta.  
 Accipis ista libens, sed quo magis ipsa futuris  
 Temporibus rata perdurent, illustria natis  
 Connubia exquiris, soceros in gente potentes  
 Expetis, & quorum regitur Germania nutu:*

*Vi maribus velut obsidibus, plebisq<sup>3</sup>, patrumq<sup>3</sup>  
 Communi tecum pacto sancita, perennis  
 Transeat ad genitos pax inviolata nepotes.  
 His ita confectis, sociatas fœdere gentes  
 Expolis, ac nimia dudum ruditate feroces,  
 Iugiter instituens armis ac legibus ornas.  
 Tum tibi concordi meritis pro talibus ore  
 Premia per solvunt gratæ post fœdera gentes  
 Te patria patrem, belli pacisq<sup>3</sup> peritum,  
 Proclamant populi quos tunc Germania novit.  
 Hinc te limitibus mox præsecere tuendis  
 Qua tum finitimi tibi sternabantur ad Austrum,  
 Canchi, Bruëterii, Vilti, Batavi, atque Sicambri:  
 Et quo tuta forent populis commercia cunctis,  
 Tempore quos illo, vasto Germania tractu  
 A Rheno veteres ad Cimbros usque fovebat  
 Iugiter est commissa tua via Regia cura.  
 Quin & ab adverso, Boreali ex parte tuenda  
 Telluris commissa fuit tibi cura, marinos  
 Adversus fluctus, pratisq<sup>3</sup>ue satisq<sup>3</sup> nocentes,  
 Ac ne communem per talia munia servum  
 Te statuisse sibi possint fortasse videri,  
 Non Libertatis modo verum & Nobilitatis  
 Eterno sacrant tibi privilegia jure*


*Nam*

APOSTROPHE AD FRISONEM.


Nam quia communem patriam defendis & ornas  
Ut numeris impleta suis defensio constet  
Munere te vite merito debere putarunt  
Liberiore frui, sentire gravamina Regni  
Nulla, sed à cunctis securam ducere vitam.  
Liber & immunis cunctorum prorsus ut esses  
Nec nummos ad bella foris subeunda, nec ullos  
Te conferre viros, sed tantum utrimque tueri  
In Frisia fines cupiunt, Germania nervos  
Hinc capit, & solidas firmato robore vires.  
Utq; etiam meritis digni præstentur honores,  
Nobilitas totum tibi confirmatur in ævum:  
Arma dedere tibi Clypei que insigne decorum  
Commissum quod clara notet per symbola munus.  
Ista tibi natisque tuis Germania grata  
Sanxit, ad æternos hinc transmittenda nepotes:  
Natorum tibi primus Adel, tibi Vitho secundus,  
Tertius est Gailo, quartus numerabitur Hajo  
Hetto quintus erit, sed sextus in ordine Scholto  
Septimus est Aesgo. Quorum de stirpe propago  
Nobilium terra Frisia septemplice pendet  
Ex quibus illustres generoso sanguine multas  
Condecorata domos porro Germania ducit.

Lib. Colles. Sach. Jura Paderborn. a. 1610.

FINIS.



...que  
...qua  
...pne  
...conjugationem  
...e.  
...que  
...nup  
...m  
...in  
...taere  
...nup







Th  
5828